prudens, et prudenter piè verissimè justissimeq; denun-
ciavit. Vale. Nam nihil prosunt querimoniae, ubi fa-
talis necessitas incumbit. Bremae 26. Febr: 1575.
ante 5. mane. Mea conjux te tuosq; cum puerorum
parentibus salutat. Juvenum custos
Johannes Molang.

A. Gerardo Mercatori socero. Duisburgi. 232/

[= Mercator a. 17, Nr. 246]

Pax Christi.

Tuum carmen accepi, et socer venerande, et legi
saepius et miror in ista scribendi carminis insolentia,
tam exquisitos numeros tibi suppetere potuisse. Nisi
illud quod vulgo fertur: dolorem facere homines diser-
tos: perelegans tibi venit est, et pedum rationem, etiam
porro diligenter observasti. Ego id unum defleo, quod vis
te studiis incumbentem, quae posteritati prosint, tam im-
portuni hominis odium absterreat et alacritate dis-
turbet. Quam vellem hac fortitudine animi praeditus
esses, ut res tam utiles molienti numquam Flavius ille
Dorpius in mentem veniret. Abeat in Hollandiam: dum
isthic absit longissime. Non soli potentes hoc homi-
num genere delectantur, quod scurrilitate, et calumniis
instruendis gratiam aucupatur. ὁ βίος ἀρέσκει τοῖς πο-
νηροῖς ἥδεται ait Menander. Semper ita fuit mundi
ingenium ut imposturis gaudeat, et assentatione, obtre-
ctatione, novorumq; scelerum inventione capiatur, vel
Sectarius ille Underhagius qui magnas turbas Ecclesiae de-
dit quam carus est multis in Hollandia! quanto illic in
pretio habetur! diligat ergo mundus quod suum est: nos
timeamus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum
quem qui non diligit, sit Anathema. Jacobus Mijlius cujus he-
ri mihi literae redditae sunt, scribit esse jam Dorpium in
Hollandiam vocatum: ab Heidelbergensi Senatu rejecti-
meri. Quisquis illuc venerit, habebit Flavium, qui fes-
sit, velitq; suffarcinam ἐπιστομίζειν. Tuas meditatio-
nes in epistola Pauli nondum ita exacte excussi, ut quid

sententiam ausim proferre. Mihi alioqui gratissimum est,
in eadem epistola disputandis difficilibus explicanda ver-
sus, ubi addendus lectoris, scribam quod videtur. Interea
mihi pro thesauro erit quicquid nactus fuero tuarum
lucubrationum. Quae de nostris rationibus ad me de-
disti: inspexi porro eadem in tabulis, quas Dn. Bar-
gius Magister noster assignavit, nec quid erroris esse pos-
sit. Video incredibilem quendam in te esse ardorem
pietatis erga Christum, ejusque S. Ecclesiam: ea res ut tibi
sine preciosissima est et quaedam aeternae vitae, sic etiam
facit ut te ardentius diligam, nihilque malim quam tibi
semper esse quam maxime conjunctus. Utrosdum quoque
fratrem amo, et florere ipsius familiam gaudeo. Pete-
bam ab eo miniatum gnomonem non operosum con-
venientem huic meridiano, qui mihi e marsupio de-
promptus in Sole consistenti horam ostendat. Dorotheae
viduae sorori juvenculae quaerendus est maritus ad sus-
tentandam. Eum invenire non erit difficile, tam inte-
gra aetate, tam re lauta. Quintinus Barij Hamburgae
homo imprimis fidelis ac diligens, qui non egent
nostra exhortatione. De cancellaria saepe idem vati-
cinatum fuit, tandem eventus respondit. Si vera sunt quae
de viris praedicantur: acer purioris doctrinae hostis
fuit. Cassandri illa contagio est quae vestram Aulam, quan-
ta est, infecit. De Carolo sunt acerba quae narras. O ju-
venis infelicissime: quem magnifice exorientem
inimici hominis impetus, incustoditum abripuit,
obruit, exstinxit. Nonne Dominus ipse facit haec Deus
qui visitat iniquitatem parentum in filios, qui torvo
vultu intuetur sceleratos, ut perdat de terra memo-
riam eorum. Qui denique accendit in furore suo ignem,
et usque ad inferni novissima descendit. Turcica legatio
ad Pontificem congruit cum illo Evangelista: Ad-
latro ad latronem. Nam ut vastatio Turcica: ita et
Pontificia tyrannis quid est aliud nisi horribilis ira
Dei foedissimum verbi sui contemptum vindicantis.

nos beatos, qui reconciliati sumus Deo per sanguinem
filii ipsius dilecti, per quem habemus redemptionem, ut
[illegible] simus a laqueis mortis, et ab ira ventura.
Quod si nos quoque non expertes crucis sumus, dum in terris
peregrinamur: paterna haec est Dei procuratio, repur-
gandis animis nostris: ut tandem ejus regno aptiores simus.
Vale 6. Idus Apriles 1575. cum tuus nepos adhuc abesset
hinc Hamburgam profectus, et ego Lundam ad amicos sa-
lutandos iter instituissem, varie distractus rebus in scho-
la domique constituendis. Salutem dic Matri, fratri
Arnoldo et familiae. Tu autem de non missis literis
apud fratrem me excusa [8. IV. 1575]

Tui studiosissimus
Johannes Molanus.

D. Herberto a Langen nobili
viro in villa sua Stockemia 233

Pax Christi.

Clarissime vir lego saepius et relego quae de mutato vitae [= Msc. a. 7 –
statu graviter et erudite disputasti: beatus es qui ista Nr. 247]
sentias, neque id solum: sed etiam ita loquaris et vivas,
illos sinamus, caeci sunt et duces caecorum. Recitarunt
heri scholares nostri ex Psal: 89. Aetatis nostrae
spatium anni septuaginta. Hoc vitae spatium ego jam
attigi, et nisi fallor numerando: transcendi. Quid
igitur restat? nisi ut sarcinulas colligam, et animo
quieto quoad possum, salvatoris adventum expectem.
Dominus modo praebeat mihi aurem invocanti, cum affli-
gor, properet, annuat mihi. Humorem vitalem jam
exsiccat (sentio) et ad interitum vergit. Hanc ta-
men mihi leniunt exercitationes scholasticae: qui-
bus intentus, dum semper puerorum multitudinem
ante oculos habeo, nihil cogitare possum minus
quam me senem esse. Atque haec etiam causa est,
cur, quum videam canos meos, retineam tamen
nescio quid juvenilis vel stultitiae, vel jucunditatis,
quod saepe conatus sum velut fuca abstergere
repellere: sed restitit stimulis et usque remansit [illegible]